

DE FAUNO ET GALATEA

C_1 v.1 Cum fugeret summas Faunum Galatea per undas,
 2 et se jam medio tingeret ille mari :
 3 "Quo fugis, o Galatea ? Mane, mane o Galatea :
 4 non ego sum, dixit, non ego, Nympha, Cyclops".
 5 Ignea tum roseo convertens lumina vultu :
 6 "Dii facerent esses nunc, ait illa, Cyclops :
 7 dummodo nulla truces Cyclopas terra habuisset,
 8 heu non dum flumen cum meus Acis erat".

DE CHRISTO MARMOREO PYRGOTELIS

C_2 v.1 Quales Asia nos apella vidit,
 2 Europae dabat artifex videndos ;
 3 quales viximus in priore saeclo,
 4 caelum Pyrgotelis dedit magistri
 5 longum posterioribus videri.

FICUS AD POETAS

C_3 v.1 Exsuperent cum jam vestri mea poma libelli,
 2 quae polycarpus eram, nunc polycarmen ero.

EADEM

C_4 v.1 Carmina qui tulerit, pomis donatus abito,
 2 tot pomis, quot erunt sua carmina ; carmina si me
 3 vestra manent, pueri, poma haec vos nostra manebunt.
 4 Poma haec dulcia nostra magis, vel carmina vestra ?
 5 Carmina dulcia vestra, et poma haec dulcia nostra.
 6 Poma haec nostra legenda, an carmina vestra legenda ?
 7 Carmina vestra legenda ; legenda et poma poetae.

DE PADO EXUNDANTE

C_5 v.1 Eridanus tumidis ripam quondam salit undis,
2 nil mirum : facit hoc, Borgia, te ut videat.

DE ARIONE MARMOREO. MESSANAE DELPHINI INSIDENTI PRO FONTE,
QUEM PANORMITANI PERFREGERUNT

C_6 v.1 Me fera per medium servavit Ariona pontum :
2 vos, Siculi, in vestra dilaniastis aqua.

AD LYCORIM

C_7 v.1 Quale suo numquam satiatus vellus in auro
2 Attalus Idaeas pingere jussit acus ;
3 quale nec Idmonii fecerunt stamina fusi,
4 texere sed sola est Palladis ausa manus ;
5 talia vir tibi dona tuus dat habere, Lycori,
6 Hermus Acidalia dona petenda Dea.
7 Et super his geminas forma praestante puellas
8 servitium dignas non nisi ferre tuum.
9 Altera Pellaeo tibi venit ab usque Canopo,
10 divite qua Nilus flumine culta secat ;
11 altera ab Eurotae campis, quam raptor Abydum
12 Turca levis verso ferre volebat equo ;
13 navita sed propere nostram vecturus ad urbem
14 artibus et multa merce redemit Arabs.
15 Nec satis hoc : partes se se demittit in omnes,
16 officiumque pii conjugis Hermus agit.
17 Nam modo qua possis digitos incendere gemma
18 pulchrius, aut flavas irradiare comas ;
19 nunc tua quo melius circundes colla monili
20 quaerit, et in cultu plurimus ille tuo est :
21 seu tu candiduli specie tangaris elenchi,
22 seu magis ire bono comptam adamante placet.
23 Foelix, cui talem contingit habere maritum,
24 tamque suo cara est, si qua puella viro.
25 Si tua conjugii tibi sors optanda fuisset,
26 quem potius cuperes, non habuisse potes.
27 Ille bonam faciem cultu torpere maligno
28 non sinet, et taciti damna subire situs :
29 sed tibi quae placido tribuerunt Numina vultu,
30 defendet placida perpolietque manu.
31 Quam bene, quod facies haec tam bona contigit illi ;
32 cultori facies haec data nempe suo est.
33 Vivere quo posses multos formosa per annos,
34 sic tibi crediderim consuluisse Deos.
35 Si minus hic mitis, vel tu formosa fuisses,
36 alterius poteras forsitan esse viri.
37 Talis at huic uni fueras nuptura marito,
38 jampridem et formae debitus ille tuae est.
39 Utque tuae pietas illius debita formae,

40 sic illi fuerat debita forma tua.
 41 Novi ego : vos Charites primis junxere sub annis,
 42 et manibus taedas conseruere suis :
 43 quasque ita venturo possem proferre sub aevo,
 44 has ibi tum voces e tribus una dedit :
 45 "Conveniunt placidi pulchro cum pectore mores,
 46 et formosa pio danda puella viro est".
 47 Sed cave ne nimio subeant mala gaudia fastu,
 48 quamque decet, placeat plus tua forma tibi.
 49 Et dolet, et dicam : vellem quoque falsa monere :
 50 exiguum formae gaudia tempus habent.
 51 Est aliud majus multoque potentius istis,
 52 sub nulla positum conditione bonum,
 53 quod neque fallenti carpit pede curva senectus,
 54 ipsa nec invisi flamma maligna rogi ;
 55 cui neque Erythraeos possis conferre lapillos,
 56 nec bis Getula vellera tincta manu :
 57 quod neque dat facies vobis, neque cura, puellae,
 58 sed casti mores ingenuusque pudor.
 59 Illud habet quaecumque proba est, quaecumque pudica,
 60 quaeque virum, debet qualiter uxor, amat.
 61 Haec tibi forma prior potioraque gaudia sunt :
 62 hic tibi sit cultus, hic tua cura decor.
 63 Nam quo compta magis, vel quo speciosior ulla est,
 64 hoc citius petimus, num sit et illa proba.
 65 Nec cultus, nec forma placet sine pondere morum :
 66 plus etiam morum pondera laudis habent.
 67 Aspice quam vivat totum cantata per orbem
 68 exemplum casti Penelopea tori.
 69 Pergama corruerant decimo servata sub anno,
 70 et Danaum Phrygias hauserat ignis opes.
 71 Jamque lares patrios Pelopeia turba tenebat,
 72 in media multo flore jacente via.
 73 Oscula quisque suae dederat repetita puellae
 74 atque expectato solverat ora sono ;
 75 narraratque suos illa pendente labores,
 76 pinxerat et minimo castra ratesque mero ;
 77 spectaratque viri positas ex ordine praedas
 78 uxor et audaci parta trophaea manu.
 79 Forsitan et lateri pugnacem aptaverat ense
 80 et galeae longas presserat orbe comas.
 81 Sola viri reditum votis operata pudicis
 82 Penelope surdos flebat habere Deos :
 83 cumque darent aliae pexis in crinibus aurum
 84 et tegetet Graias splendida palla nurus,
 85 ipsa suos non compta sinus, non compta capillos
 86 stabat, et in vultu signa dolentis erant.
 87 Dixerat Icarus : "Quid te, mea nata, fatigas ?
 88 Quid quereris lentum non rediisse virum ?
 89 Dum bene tu longas consumis frigida noctes,
 90 et potes in vacuo stulta cubare toro,
 91 quis scit an externam prudens amet ille puellam
 92 interea, et siccos non sinat ire dies,
 93 castaque Penelope mentem non tangat Ulissis,
 94 decideritque viri nomen ab ore tuum ?
 95 Certe ego dudum illam timui, quam fortibus herbis

96 fama est Argolicos detinuisse viros :
 97 et modo quaerenti quaedam mihi dicta Calypso est
 98 naufragium passo concubuisse duci.
 99 Ominer incassum : sed me tamen omnia tangunt,
 100 veraque nescio quo sunt mala cuncta modo.
 101 Dum tamen hoc tantum nostras pervenit ad aures,
 102 causa tui luctus quaelibet esse potest.
 103 Quamlibet ille potest de se fecisse parentem,
 104 quosque pater dicat, quamque maritus habet.
 105 Possidet et carae dotalia conjugis arva,
 106 inque peregrino moenia magna solo,
 107 oblitus miserique patris natiue tuique.
 108 I nunc et costans dicier uxor ama !
 109 Nempe mihi tanti non est faciendus Ulisses,
 110 in viduo maneat semper ut ipsa toro.
 111 Nec tam dura mihi fuerat sperata senectus,
 112 esset ut a lachrymis illa gravanda tuis.
 113 Eia age, rumpe moras vacuumque relinque cubile :
 114 quod tibi vir nunc est, te licet esse viro.
 115 Elige de multis, cui sis jungenda marito :
 116 En ultro veniunt ad tua vota proci.
 117 Nec praescire labor tibi, quem nolimve velimve est,
 118 dum tibi quis placeat, jam mihi quisque placet.
 119 Tantum ne dubita : quid enim dubitabile verum est ?
 120 Hora tibi melior non reditura fugit.
 121 Heu nimium propere subit aerumnosa senectus :
 122 cur fraudas annos, filia dura, tuos ? "
 123 Dixit et amplexus carae dedit oscula natae,
 124 et patriae lachrymas non tenuere genae.
 125 Illa sub haec oculos aegre demissa tenebat,
 126 candida purpureus tinxerat ora pudor.
 127 Quid faciat ? Cedat patri laesura maritum,
 128 an neget et duro vulneret ore patrem ?
 129 Hinc pietas aetasque sui lachrymaeque parentis,
 130 inde maritalis obstat et urget amor.
 131 Plus tamen urget amor superatque in conjuge conjux ;
 132 sed timet affectum sollicitare senem.
 133 Dumque timet, radii manibus cecidere pudicis,
 134 atque oblita suum dextra reliquit opus.
 135 Stamina tum relegens revolutaque pensa reponens,
 136 per causam tacito tempora fronte terit.
 137 Ah etiam rupit lenti bona litia fili,
 138 ut traherent certas illa plicanda moras :
 139 ruptaque cum posset firmo connectere lino,
 140 infirmo vanum callida fecit opus.
 141 Quid te parva juvat mora temporis, Icarione ?
 142 Ad tibi fallendos nil facit illa dies.
 143 Tela erat ante oculos, tibi quam texebat, Ulisses :
 144 ad telam sensus contulit illa suos.
 145 Protinus et tenui, "Faveas mihi", murmure, dixit,
 146 "injice tu longas officiosa moras".
 147 Inde hilari maestum vultu solata parentem,
 148 talia composito pectore verba refert :
 149 "Tela haec coepta meo cum perficietur Ulissi,
 150 ipsa libens veniam sub tua jussa, Pater".
 151 Accipit Icarus promissaque tempora servat,

152 spargit et in tepidos thura merumque focos.
153 Dumque parat natae thalamos taedasque maritas,
154 producit pactam tela retexta moram.
155 Sic illa invitoque parente, ultroque petita
156 absenti potuit casta manere viro.
157 Et ne forte putes paucos mansisse per annos,
158 quatuor huic spatium lustra fuere morae.
159 Sed legitur nunc illa omnique legetur ab aevo :
160 haec merces tanto digna labore fuit.
161 Tu quoque perpetuo celebrabere, pulchra Lycori,
162 tu quoque venturo nomen ab orbe feres ;
163 si modo Penelopen castasque imitata maritas,
164 materiem dederis laudibus ipsa tuis.
165 Hoc tamen ut facias, non expectandus Ulisses,
166 Icariusve tibi decipiendus erit.
167 Prona via est, qua carpis iter : tibi cura marito
168 sit tantum ut placeas conveniasque tuo.
169 Ille quidem nostro juvenis rarissimus aevo est :
170 convenies isti nec nisi rara viro.
171 Nec quia non praestes, te nos nunc ista monemus :
172 sed potes hortatu pronior esse meo.
173 Hoc tibi pro tanto debemus conjuge, qui nos,
174 Thesea Pirithous sic ut amavit, amat,
175 cui tu sera tuos jungas feliciter annos
176 comprecor, o digno juncta puella viro.